

est, ne gloriæ patris sui crimen inferat. Scipionis Africani filio, quod parentis gloriam sceleribus suis obfuscarat, jussit adimi senatus annulum, parentis effigiem habentem, de ipsius manu, Valer. Max. l. III. cap. V. Quid aliud meretur Christianus, qui Dei patris sui nomen peccatis suis inquinat? Dionysius tyrannus cum inaudisset filium alterius uxori vim intulisse, iratus ei dixit: *An tu aliquando in me tale quid deprehendisti?* Balth. Chavass. de prud. l. II. c. XI. Idem tibi homo, quandocumque peccas, dici a Deo et Christo puta nimirum: *An tu aliquando in mea vita tale quid deprehendisti, vidisti aut legisti?*

Quarto, patientiam in castigatione. Videmus filios ingenuos virgam osculari, et parentibus gratias agere, postquam ab iis emendati sunt. In hunc modum et nos dicamus cum Davide: *Ego autem in flagella paratus sum*: et post tribulationem cum martyre Laurentio: *Assatus gratias ago*.

Quinto, timorem. Timent boni filii offendere parentem et ideo in suis actionibus, oculos ad eum identidem convertunt, num forte ipsorum gesta displiceant parenti. Sic ambulandum et eum Deo, quia purissimi ejus oculi facile offenduntur. Qui campanas fundunt et tormenta bellica ex liquato ære, maximam curam et sollicitudinem adhibent, ne vel minimum aberrent, eo quod vitæ periculum certo sibi immineat, si metallo aspergantur. Simili modo, crede mihi, cum Deo est agendum, quia: *Deus noster, ignis consumens est*, Deut. IV.

Sexto, fiduciam. Recurrunt enim filii in suis necessitatibus illico ad parentem, et sufficere existimant, si modo sciat pater, quid mali incurrerint, vel patiantur. Ad hæc secure dormitant, nulla de re solliciti, præsertim cum sciunt se patrem habere opulentum. Deo ergo confidamus, et necessitates nostras per orationem aperiamus, ad ejus gremium recurramus, quasi ad asylum securissimum.

Et hoc est, auditores: *Sollicite ambulare cum Deo*. Et quam hoc ipsum sollicite faciendum est? Quam enim honorandus et colendus Deus, summa illa et augustissima majestas, in cujus conspectu columnæ cæli contremiscunt? Quam ei obediendum, qui: *Mandavit mandata sua custodiri nimis*, id est, exactissime, et sub pœna inferni? Quam ille imitandus, qui cum Deus esset, de cælo ad nos venit, ut recte ambulare nos doceret, dum inter tot hostes et pericula versamur? Quam patienter ferenda ejus castigatio, quam tot modis commeruimus? Quam timendus, qui omnia nostra observat semper, et potest corpus et animam mittere in gehennam? Quam sollicite

invocandus, in quo solo spes nostra posita est cujus nos omnes mendici sumus, toti quanti sumus ab eo dependentes?

Reddite ergo quæ sunt vestra, vobis: quæ sunt proximi, proximo: quæ sunt Dei, Deo: et forte experiemini, canem illum, quem diximus, a latratu cessaturum, etc.

## CONCIO IV.

BONA NOSTRA QUOMODO CUM DEO DIVIDENDA.

I. Cogitationes. — II. Sermones. — III. Studia et labores. — IV. Dies. — V. Opes.

## THEMA.

*Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. Matth. XXII.*

Narratur III. Reg. III. duas mulieres litigasse coram rege Salomone, de filio, quem utraque contendebat esse suum. Rex itaque sapientissimo excogitato consilio, quo deprehenderet veram matrem, jubet infantem in duas partes dividi et cuique mulieri tradi unam partem. Quo audito vera mater precari cœpit, ut traderetur infans vivus alteri: ea vero quæ mater non erat, dicebat: *Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur*. Atque inde deprehensum est non hanc sed illam, pueri matrem fuisse. Simili modo litigant pro homine Deus et mundus. Deus tamquam creator et Dominus: mundus tamquam amicus, sine quo vivere difficile est. Sed optimum judicium fert Christus in hodierno evangelio: ut nimirum dividatur, et Deo detur, quod Dei est, mundo, quod est mundi.

I. Dividendæ sunt cogitationes cordis; quæ quidem vulgo parvi æstimantur, cum tamen maximi æstimandæ sint, utpote fetus nobilissimæ matris, scilicet intellectus, ideoque a Deo magnopere desiderantur, ut circa ipsum versentur et non circa vana et sæcularia. Hinc enim dicit sponsæ, id est, cujus animæ justæ, Cant. VIII. *Pone me ut signaculum super cor tuum*, q. d. fac mei semper memineris et de me semper cogites: sicut solent, qui signum aliquod memoriæ sibi constituerunt. Cera a signaculo recipit ejus formam et similitudinem: ita cor nostrum Dei actualem similitudinem, cum de ipso cogitat. Desiderat igitur Deus, ut quantum fieri potest, semper in ipsius et divinarum rerum contemplatione versemur, sicut et ipse semper in contemplatione summi boni versatur, adeoque ipso actu assimillemur. Sed tamen contra hoc mun-

us protestatur, et sicut Pharaeo Hebræos laboribus adeo occupavit, ut de Deo et sacrificio suo cogitare non possent: ita et ipse rapere ad se conatur omnes cogitationes nostras, eo quod multa necessario peragenda, disponenda, quærenda, accipienda, eroganda sint ad alendum corpus, liberos, familiam, amicitiam conservandam, etc. Quid igitur faciendum? Dividantur hæc cogitationes, et pars Deo tribuatur, quando omnes non possunt, pars mundo necessaria. Nulla dies prætereat, quin sæpius de summo bono, et rebus ad eum pertinentibus, cogitemus: Cur hic sum? A quo creatus, et ad quem finem? Cur animam rationalem et immortalam accepi? Et quamdiu hic morabor? Et quis tandem status animam meam excipiet? Quid respondebo aliquando judici illi? Qui se habet conscientia mea? Num in hoc statu mori auderem, etc? Memorare item quotidie novissima tua et similia. Hoc enim primo, est æquissimum, tum quia Deus est intellectus nostri objectum nobilissimum, maximeque necessarium, et scopus omnium actionum nostrarum, ad quem in omnibus operibus nostris collimare debemus, adeoque eum semper præ oculis habere tum quia ab ipso omnibus momentis vitæ nostræ dependemus; tum quia alioquin aperte demonstramus, nos Deum nihil amare, qui nunquam aut rarissime, ac præter intentionem nostram, ipsius recordamur; siquidem amantis cor ibi est, ubi amat; seu ut Dominus ait: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*, Matth. VI. hinc dixit Dalila Samsoni: *Quomodo dicis, quod amas me cum animus tuus non sit mecum?*

Secundo, id est jucundissimum; memoria enim Dei omnem e corde nostro pellere tristitiam potest, ut expertus est David, qui dixit: *Renuit consolari anima mea*, (quantumvis blandirentur carnales voluptates) *memor fui Dei et delectatus sum*, Ps. LXXVI. Est enim aliqua beatitudinis scintilla et portio, Deum cogitare; siquidem ipsa beatitudo consistit in Dei visione intellectuali. Quis non gaudeat, si consideret se habere maximum, æquissimum, ditissimum, mitissimum Deum, et hunc sibi a nemine auferri posse, hunc a se omni loco et tempore invenire posse, apud hunc se falso accusari non posse?

Tertio, quia utilissimum. Ejusmodi enim cogitationibus, vel momentaneis, non tantum pasitur et roboratur animus, sed etiam magna acquiruntur merita; cum vicissim cogitationibus sæcularibus tempus ut plurimum male impendatur. Unde S. Hieronymus, in Psal. XCIII. ait: *Vultis scire quoniam cogitationes hominum vanæ sunt? Pater et mater nutriunt filium, pro-*

mittunt sibi de illo felicitatem, mittunt ad studia, erudiunt, venit usque ad adolescentiam, disponunt ut etiam militet: cum omnia cogitaverint per annos triginta una febricula venit et tollit omnes cogitationes. O curas hominum! O quantum est in rebus inane! Una cogitatio felix, cogitare de Domino.» Sic ille.

II. Qui sunt sermones nostri, quos conferimus ad invicem? Omnes pene de victu et vestitu, de epulis et conviviis, de lucro, de mercimoniis, de rebus novis, etc. nihil pene unquam de Deo et rebus divinis: imo qui tale quid in medium proferret, v. g. sub convivio, rideretur, non audiretur. Sed quo hæc jure? Qui tibi sermonem et linguam dedit, annon et sibi quoque partem aliquam sermonis vindicat? Sane apostolus Petrus dicit: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei*, I. Pet. IV. Itaque jure dividimus sermones nostros, et partem quidem rebus sæcularibus damus, partem vero Deo. Hoc primo æquissimum est; quia si Deum in corde gerimus et sincere amamus, de ipso libenter loquemur, agemus vel audiemus: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*: ut taceam beneficia Dei quotidiana quæ merito extollere per gratiarum actionem deberemus et dicere cum Daniele, pro cibo sibi in lacum misso, gratias agente: *Recordatus es mei Deus*. Itaque in templo saltem in processionibus et diebus festivis, sermo noster sit de Deo et rebus divinis; cum pulsatus ad orationem; in die communionis et confessionis; vesperi in examine conscientie, etc.

Secundo, quia hoc etiam jucundum est. Ideo enim David cum tædio aliquo laboraret, psalmos canere solebat. Unde ait Ps. CXVIII. *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*: idem suadet apostolus ad Ephes. I. *Implemini Spiritu s. loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris*. Quis enim non recreatur peregrinus, si audiat sermones de terra sancta ad quam tendit? Quis non de ea libenter legit, loquitur, interrogat? Atqui nos omnes tendimus ad terram illam sanctam beatitudinis cælestis. Certe olim tempore S. Hieronymi etiam rustici inter labores suos sacra cantica canebant, aratores, messorum, vitatores, ut testatur ipse epist. XVII. ad Marcellam: item infantes cum fari incipiebant, *Alleluia* primam vocem dicebant, idem ad Lætam: tempore S. Basilii etiam rustici cantabant *Gloria Patri et Filio*, etc. teste Basil. lib. de Spiritu sancto, c. VII. et XXIX.

Tertio, idem quoque saluberrimum: *Ubi enim duo vel tres in nomine meo fuerint congregati, ibi in medio eorum sum*, ait Dominus, idque præstitit discipulis euntibus in Emmaus, de passione ejus



colloquentibus. Sicut e contra absque dubio cum profana, turpia, et detractoria colloquia fiunt, diabolus in medio adest, exultans, instigans et tripudians.

III. Si studia, labores et industrias nostras consideremus, omnes pene sibi vindicat mundus. Velut enim formicæ discurremus in terra, et totis viribus incumbimus ad victum et vestitum parandum, ad nundinas, ad agriculturam, ad opificia, etc. quibus paupertatem arceamus et divitias comparemus. Sed quid ad hæc Dominus noster? *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt*, Matth. VI. et Joan. VI. *Operamini non cibum qui perit; sed qui permanet in vitam æternam*. Ecce industriam nostram Deus petit: petit etiam mundus. Quid ergo faciendum? Optandum quidem esset, ut semper Deo vacare possimus, sed quoniam id nobis impossibile est, dividatur labor, et pars mundo assignetur ad sustentationem corporis, pars Deo ad sustentationem animæ. Itaque nulla dies sine linea boni operis nos prætereat. Si enim Titus imperator nullam præterlabi diem passus est quin alicui beneficeret: et cum id aliquando omisisset, dixit: *Amici, diem perdidit*: quanto magis decet, ut nos Christiani hoc agamus? Nos enim quæ hic agimus, in cælo reponimus, et suo tempore inveniemus. Unde si parum ibi reposuerimus, cum potuissemus multa, nonne tunc dicturos nos putamus: *Amici, heu quot dies perdidit!* Si querere possemus ex damnatis et purgantibus animabus, omnes pene responderent: *Heu mihi, quot dies perdidit!* Domitianus Titi frater prorsus fratri dissimilis et ignavus erat, tempusque in muscis capiendis terebat. Tales sunt, qui soli mundo vacant. Perit itaque labor, quem corpori impendimus: solus ille manet, et reponit lucrum in cælo, quem animæ impendimus: unde Ecclesiastes, cap. II. ait: *Quid proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?* Qui duos equos habet, ex æquo pabulum eis dividit: nos habemus corpus et animam, utrique ergo cibum deus suum cuique debitum.

Secundo, exigit hoc præmii cælestis incomparabilis excellentia. Quia: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ paravit Deus diligentibus se*. Annon igitur decet, ut strenue pugnemus, et heroica facta designemus pro tam grandi præmio? Non quotidie parabinus aliquid meriti pro mercede æterna? Si enim otos dies, septimanas, menses, annos, sæculo

impendimus, et nihil spiritualis lucri facimus qua fronte, quo animo mercedem æternam expectamus, et aliquando petemus? Audi apostolum, II. Thess. III. *Si quis non vult operari, nec manducet*.

IV. Dierum etiam nostrorum facienda est divisio; operarii mundo dandi, feriales vero Deo: quoniam istos vocat Deus suos, Ezech. XX. *Sabbata mea violaverunt, etc.* et Exod. XXXV. *Septimus dies erit vobis sanctus*, id est, Deo dicatus. Demus itaque Deo, quæ sunt Dei; quod si fecerimus dabit etiam nobis Deus, quæ sunt nostra, victum et sustentationem. Hanc enim tamquam communis pater dabit, si quæ ipsius sunt, non abstulerimus: negabit vero diffidentibus et ex diffidentia operantibus. Quemadmodum Petrus non cepisset mergi, nisi dubitasset ambulans super mare: pari modo nos nihilo plus egeremus, si diebus festis a labore supersederemus, confisi in Deo. Sed quoniam Deo diffidimus, inde mergi et egere incipimus.

Quod si potiore temporis partem selegisset Deus ad servitium et cultum suum a nobis impendendam, esset fortasse, cur excusaremus. At nunc selegit sibi longe minorem.

V. Sed quid de substantia nostra? Nihilne Deo dabimus? Cur ergo omnes nationes etiam ethnicorum diis suis libabant de suis possessionibus? Certe Salomon duplo plus expensarum consumpsit in ædificatione templi, quam in ædificio domus propriæ, III. Reg. VI. Et cur Deus noster præcepit, Proverb. III. *Honora Dominum de tua substantia?* Quamquam non quærit bona nostra Deus, sed honorem suum, ut exiguum saltem offerendo partem pro more omnium, protestemur nos esse quasi feudarios ipsius, et ab ipso habere omnia.

Nulla adhuc lex extabat, quando Cain et Abel obtulerunt Deo, ille de fructibus terræ, hic de primogenitis gregis sui: natura sola instigavit eos ad hoc faciendum. Sed contra instat mundus, et opes omnes profundi in liberos, amicos, vestium splendorem, famulorum turbam, canes, moriones, fidicines, popinam jubet. Sed quam hoc iniquum est, quod profundas in mundum et vanitatem, et non habere quod communices Deo et ejus pauperibus? Et cui nam Dominus æquiparat talem hominem? Diviti illi stulto, qui dixit: *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*; nocte vero insequente audivit Deum sibi dicentem: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?* Subjicit enim immediate Dominus: *Sic est, qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives*, Luc. XII. Divites in mundum multi

quidem sunt: sed non item in Deum. Vis ergo non idem tibi evenire, quod contigit stulto illi, vide ut etiam erga Deum dives sis.

Id vero non solum æquum, verum tibi salutare quoque est; tali enim munere non tam debitum tuum reddis, quam Deum novo tibi beneficio obligas, ut centuplum tibi reddat. Provides etiam tibi in sæculum futurum. Certe si duas arces haberes, et in una hibernare deberes, nonne per æstatem eo præmitteres victualia, quæ ibi non habentur, vinum, frumentum, butyrum, etc. omnino id ageres. Atqui nos in cælo perennare cupimus: cur igitur non præmittimus partem nostræ substantiæ; siquidem dicit ap. II. Cor. IX. *Quia parce seminat parce et metet: qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*, id est, liberaliter et largiter? Alioquin merito aliquando reprehendemur a Deo et toto mundo, quod cum tam facile mercari nobis cælum possemus, omiserimus. Turcicæ historiæ referunt, Turcarum imperatorem Mahometem, anno 1453. cum Constantinopolim cepit, comportari civium armillas, annulos et torques in unum cumulum (qui maximus evasit) medio in foro jussisse, visoque eo cumulo cum stupore, objurgasse cives, quod hoc auro non sint usi ad defensionem civitatis; si quidem eo facto nunquam occupanda fuisset. Simili modo Deus, cum aliquando capiet animas nostras in articulo mortis, objurgabit nos, quod tam inconsulto omnia nostra impenderimus, et nihil fere pro animarum nostrarum salute expendere voluerimus. Serve piger et ignave, dicet, quare non dedisti pecuniam tuam ad mensam (pauperum) ut cum fœnore eam reciperes?

At quid de illis dicemus, qui deteriora Deo offerunt? Scribunt veteres, viatorem fuisse, qui voverit e re, quem invenisset, dimidium Mercurio, porro sacculum invenit nucibus plenum. Ita que nucleos ipse comedit, cortices numini obtulit, quasi dimidium, quod vovisset. Tales hodie non paucos invenire est. Nonne vero cum his expostulare potest Deus, ut olim cum Caino, cui dicebat: *Nonne si recte offeras, non recte autem divides, peccasti?* ut habent Septuaginta, Gen. IV. Quod S. Ambrosius, Augustinus, et Chrysostomus sic exponunt: « Quia in recta divisione prima secundis, cælestia terrenis præferenda sunt: Cain autem primas sibi, secundas dabat Deo; ideoque non recte cum Deo divisit. » Quam multi autem tales, qui primam et meliora sibi, secunda et deteriora Deo dant? Primæ eorum cogitationes de lucro, de conviviis, de voluptatibus, et honoribus sunt; postremæ de Dei cultu, amore et honore: primi sermones de rebus novis et ludicris, de ludis, equis, canibus, vena-

tionibus, hastiludiis; ultimi de rebus piis et seriis: primorum labores, curæ et sollicitudines de victu et amietu; ultimi pascenda anima verbo Dei et sacramentis: primos et meliores juventutis dies mundi servitio impendunt; postremos et viliores senectutis, pietati et poenitentiae dicare volunt: meliora de substantia sua in pellices, gnathones, mimos et scurras effundunt, deteriora pauperibus abiciunt. Hocine non est nucleum comedere, et corticem Mercurio offerre? Recte quidem offerre, sed non recte dividere? Tu igitur, mi Christiane, ne Cainum imitare, sed Abelem, qui obtulit Deo primos et meliores fructus, de primogenitis gregum suorum et de adipibus eorum, etc.

## CONCIO V.

IMAGO DEI IN HOMINE QUOAD MULTA.

I. Proprie est in mente hominis, secundum sex animæ dotes. Imago Dei naturalis. — II. Minus proprie in aliis prærogativis. — III. Impropriissime in structura corporis humani. — IV. Imago Dei supernaturalis in homine consistit in gratia.

## THEMA.

Cujus est hæc imago? Matth. XXII.

In more habent domini, ut mancipiorum suorum frontibus inurant stigmata seu sigilla sua indelebilia, teste Cælio Rhodigino, l. VII. c. XXXI. quo nimirum ea in servitute contineant, et si forte aufugerint, e stigmatate deprehendant atque in ergastulum reducant. Creatus est homo a Deo, ut serviret illi, quia Deut. VI. Deus dixit: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies*. Quare ut forius hominem obligaret ad serviendum sibi, indelebile stigma ei impressit pulcherrimæ imaginis suæ, adeo ut si fugere conaretur, et alteri adhærere domino, hoc signo deprehendi posset et redargui tamquam fugitivus, denique ad dominum suum reduci. Sic enim David, Psalm. IV. ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Ita nimirum amavit Deus hominem, ut propria imagine eum insignierit, quo palam ostenderet, se hominis dominum et possessorem proprium esse velle. Sic generoso cani, quem perdere non vult dominus, circumdat collare suis decoratum insignibus. Hoc tamen nihil obstantæ, quam plurimi mortalium subducere se a legitimo suo domino conantur et adhærere alieno, imo nec in se agnoscere volunt imaginem Dei sui. Qui proinde ad speculum adducendi